



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs III. De Rescriptis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

non derogatur Arg. c. ex parte. 3 Juncta Gloss. V. nulla mentio de Capellis, Monach. (cū tali tantā maturitate factæ Concilii dispositioni noluit tam facile derogare Pontifex) vel certis quibusdam clausulis contra derogationem munita sit; quæ si specificam mentionem requirat, non tollitur per clausulam generalem, non obstantibus quibuscunque in contrarium: sed debet habere clausulam specialem clausulæ priori, expressè vel æquivalenter derogantem.

Resp. 2. Non tantum per posteriorem Principis Constitutionem derogatum censetur particularibus statutis, quaravis lex posterior directè contraria sit illis, ut constat ex relato c. 1. (quorum enim nullā notitiam Princeps habet, sicuti

presumitur non habere notitiam eorum, quæ particularia locorum certorum sunt, illis non censetur per suam contrariam constitutionem derogare, nisi expressè caveatur, saltem per clausulam generalem non obstante quocunque contrario statuto, &c. ut ait Gloss: in relato c. v. facti; aut nisi statutum tale particulare idem disponat & decernat, quod disponit & decernit jus commune, nihil ei addendo, vel detrahendo, prout iterum probar relata glossa, & ex eo desumpta ratio, quod scilicet cū aliud nihil statuat jus particulare, quàm jus commune, consequenter qui derogat juri communi, censetur etiam derogare juri particulari, idem profus asserenti, quod asserit jus commune.

T I T V L V S I I I . D E R E S C R I P T I S .

S E C T I O I .

De Rescriptis in genere, eorumque divisione & imperatione.

§. I.

Quid sit Rescriptum & quomplex?

Rescriptum aliud non est, quàm Responsum Principis supremi Ecclesiastici vel Secularis, supplicanti vel consulenti in scripto datum: quamvis enim si rescripti nomen latius accipere velis

omnis responsio ad petitionem alterius, quamvis à privato facta sit, in scripto obtenta, rescriptum dici possit, quia tamen in *h. t.* maximè de rescriptis Pontificiis agitur, & leges etiam Civiles in strictiore acceptione de rescriptis loquuntur, hinc ab illa strictiore, & magis propria acceptione discendi non debuit; quæ tamen ipsa acceptio strictissima non est, cū multi adhuc distinguant inter privilegium, beneficium, dispensationem, & rescriptum; quia tamen hæc distinctio magni momenti non est, magis placet sub rescripti nomine hæc omnia comprehendere.

C 3

Plu-

Plures sunt quidem Rescriptorum divisiones, potissima tamen ea est: qua Rescripta dividuntur in Rescripta *justitia & Gratia*. Illa dantur ad explicandum seu declarandum jus, sive ad lites expediendas, dicendum jus, & administrandam justitiam: hæc dantur ob obtinendam aliquam Gratiam seu beneficium, addunt his aliqui Rescripta etiam mixta, quæ scilicet gratiam & justitiam continent, ut si executori mandetur, ut conferat beneficium, simulque detur potestas compellendi resistentes vel impediendes.

§. II.

Quisam impetrare possint Rescriptum, qui non. Et à quibus contra quos, Et in quibus rebus impetrari possit?

SUpplicare Principi, sive impetrare Rescriptum potest quilibet, sive Actor, sive reus sit, nisi specialiter prohibeatur: Qualiter prohibetur hæreticis *l. 2. Cod. de summa Trinit. Servis, l. 1. Cod. de precibus Imperato, offerendis* (nisi causarum atrocitas aliud extraordinariè concedat) & excommunicatis excommunicatione majore. *c. directus, 26. h. r.* sive occulti sive notorii fuerint, sive per se, sive per Procuratorem, &c. ita ut tam Rescriptum ab his impetratum, quam processus vi talis Rescripti institutus, sint ipso jure nulla (quamvis enim, si coram judice ordinatio egerit excommunicatus, & nec per judicem ex officio, nec per exceptionem Adversarij repullus sit, acta illius omnia, & sententia valida sint, uti colligitur ex *c. 1. §. fin. de*

except. in 6. hoc tamen de judice delegato per rescriptum impetrato, dici non debet, cum enim nullum Rescriptum sit, & irritum, per quod judex delegatus ab excommunicato impetratur, consequenter nullã vi talis Rescripti jurisdictionem acquirit, ergo si aliunde eam non habeat, acta judicij illius, & sententia nulla erunt) nisi super causa ipsius excommunicationis propriæ agat excommunicatus, aut super causa appellationis (ut ne medium necessarium ad sui defensionem videatur illi negari) vel impetraverit taliter excommunicatus Rescriptum ab Episcopo, aut alio ordinario, qui Papâ inferior est, vel à Principe seculari, à quibus per excommunicatum impetrata Rescripta ipso jure valida sunt, cum ea, quæ de Rescriptis in jure Canonico dicuntur, potissimum se extendant ad Rescripta Pontificia, prout ex fine hujus tituli satis colligitur.

§. III.

An quis non tantum pro se, sed etiam pro alio impetrare possit Rescriptum?

Resp. Rescripta ad lites, sive Rescripta justitiæ, non posse aliquem alterius nomine impetrare (ad cavendam scil. nimiam litum multiplicationem) nisi speciale ad hoc mandatum ab eo, cujus nomine impetrat, habeat. *c. n. nulli 28. §. sunt Et alij h. r.* aut sit ex illis Personis, à quibus non debet de jure mandatum exigi, quales sunt Personæ, sanguine aut alia propinquitate conjunctæ, juxta prudentis judicis arbitrium
aut

aut sit Procurator generalis ad lites constitutus, qui nomine proprio ad causas, quas agere potest, vi generalis mandati Rescripta etiam impetrare potest; sunt tamen aliqui, qui eam volunt hodiernam Curia Romanæ consuetudinem, ut à quibuslibet etiam extraneis Personis, alieno nomine rescripta ad lites etiam impetrari possint, sine speciali mandato: quod de rescriptis Gratia facile concedent omnes (ad beneficia enim Ecclesiastica obtinenda, ad dispensationes, vel alias gratias impetrandas, &c. supplicari à quolibet, pro quolibet capaci posse sine speciali mandato ex *Gloss. in citatum §. sunt & alij V. sine speciali mandato, & ex l. universis, Cord. de precib. Imperato. off. pater*) fortassis non tam facile de rescriptis ad lites.

S E C T I O II.

De interpretatione Rescriptorum.

§. I.

Quomodo interpretari oporteat Rescripta iustitia sive ad lites.

Resp. 1. In dubio, si de contraria voluntate rescribentis non constet, intelligi & explicari debere juxta jus commune, ne illi derogetur, etiam si à proprietate verborum recedendum esset, aut clausula adjecta transponenda esset, prout sumitur ex *c. causam 18. h. 2.* cum enim rescripta talia fiant juxta jus commune, consequenter nihil contra jus commune decerni recte præsumetur (nisi per clausulam expressam ei derogare-

tur) ita ut potius error scriptoris præsumi debeat, quam quodd contra jus commune à Principe rescriptum sit.

Resp. 2. Strictam plerumque interpretationem faciendam rescriptorum justitiæ, sive ad lites (tum quodd odiosa illa sint, tum occasionem præbentia, tum quodd derogent jurisdictioni ordinariorum) ita ut extendi non debeant, ad casus, aut Personas non expressas; & quamvis rescriptum tale impetratum sit cum expressa clausula, quodd vi illius alia etiam quedam persona conveniri possint: aut quodd tam super his, quam super aliis quibusdam causis delegatus iudex cognoscere possit, in iudicium tamen vitalis rescripti, neque causæ graviores, aut majores deduci possunt, neque Personæ digniores expressis, conveniri, sed æquales tantum, aut etiam leviores, quam sint expressæ: neque rescriptum tale ad quemvis numerum, Personarum aut causarum extendi debet, sed ad tres aut quatuor Personas. *c. sedes 15. h. 2.* in prima citatione coram iudice delegato nominandas *c. 2. h. 2. in 6.* ad tres vel quatuor causas argu: *relati c. sedes* (nisi ex subiecta materia amplior fuisse mens rescribentis colligi possit) & hinc 1. si per rescriptum conveniri possunt homines quidam in diocesi existentes, non possunt vi talis rescripti conveniri homines, qui in civitate Episcopali existunt, prout sumitur ex *c. Rodolphus 35. h. 2.* quamvis enim civitas talis Episcopalis in diocesi sit, tanquam caput totius Diocesis, ob suam tamen dignitatem sub stricta acceptione Diocesis, quoad odiosa, non venit; sicuti mandatum, quodd quis impetrat, ut de

de beneficio sibi provideatur, in Dice-
si, aut civitate, ad Ecclesiam cathedra-
lem se non extendit, prout expressè de-
cidit Pontifex in *c. quamvis. 4. de pra-
bend. in. 6.* 2. Non potest conveniri
hæres vi rescripti ad lites impetrati, cum
clausula generali: *ut vi illius conveniri
possint etiam quidam alii Clerici vel Lai-
ci.* Si res adhuc sit integra, & ante litem
contestatam mortuus fuerit, qui in Re-
scripto illo expressè nominatus quidem
non fuerat, vi tamen clausulæ illius con-
veniri poterat, prout sumitur ex *c. signi-
ficavit. 36. h. t.* Quia obligationes perso-
nales, quas defunctus ante mortem non
contraxit, non transeunt ad ejus hære-
dem. Dixi, si nominatus expressè non
fuerat in Rescripto Papali, vel si contra
aliquem Rescriptum impetratum fuerat,
ratione Ecclesiæ, aut dignitatis, quam
possidet, conveniendum, poterit vi clau-
sulæ generalis adjectæ etiam hæres illius
aut successor in dignitate conveniri, ut
sic enim res integra amplius non cen-
setur. 3. Si Rescriptum impetratum sit
ad lites simpliciter, vel cum clausula: *Et
quibusdam aliis causis:* non debet rescrip-
tum tale extendi ad controversias, quæ
post impetrationem Rescripti primùm
exortæ sunt, *c. ult. h. t.* Quia dispositio,
quamvis generalis, censetur tantùm fie-
ri de præsentibus, non autem de futuris,
quæ nondum existunt, nisi aliud exprimi-
matur, argu. *l. si scripisset. 46. FF. de
legat. 2.*

§. II.

*Qualis interpretatio fieri debeat in
Rescriptis Gratia sive ad beneficia.*

Resp. I. Strictè ea interpretanda esse,
ita ut neque à Persona in Personam,

neque à casu expresso, ad casum non ex-
pressum extendi possit, nisi aliter de in-
tentione rescribentis appareat, vel ex
clausula adjecta, vel quòd res ad primæ-
vum suum statum reducatur per rescrip-
tum, vel quòd motus proprius, aut da-
mini compensatio, ampliorem favorem
mereatur: Ratio autem hujus responsio-
nis est, quòd rescripta talia ad beneficia
retinenda sint ambiciosa *c. quamvis 4.
de prebend. in. 6.* & mandatum contine-
ant de faciendis provisione, mandati au-
tem fines diligenter sunt custodiendi *l.
diligenter. 5. FF. mandati;* & hinc per
se talia rescripta extendi non debent ad
beneficia aliter vacantia, ac in rescripto
expressum est; ad beneficia post datum
rescriptum erec'ta; & de novo creata &c.
*c. susceptum. 6. h. t. in 6. Clement. ult.
eod.*

§. III.

*De quibusdam Clausulis Re-
scriptorum.*

Sunt certæ quædam Clausulæ, quæ in
Rescriptis communiter exprimuntur,
vel saltem subintelligi debent, nisi expres-
sam mentionem stylus illius Curiaë requi-
rat; ab harum autem intellectu multùm
dependet rescripti notitia, explicatio, &
interpretatio.

I. Ergo in omni Rescripto ad instan-
tiam impetrato, exprimitur, vel subintel-
ligitur illa clausula: *Si preces veritate ni-
tantur:* aut huic æquivalens *c. ex parte
2. h. t.* ita tamen, ut in rescriptis justitiæ
sæpe non sit essentialiter requisita, &
consequenter rescriptum tale non sit ipso
jure irritum, si narrata in eo non sint ve-
ra, cum talia non tam ad fundandam,
8c

& inchoandam iudicis jurisdictionem inferantur, quam ad aliquam illius instructionem, quomodo secundum iustitiam procedere debeat, & sapius ad id tantum referatur, quod immediate antecessit, prout scilicet materia subiecta exigit, ut colligitur ex c. alim 25. h. t.

II. In omnibus Rescriptis tam gratiæ, quam iustitiæ apponi solet, vel subintelligi debet clausula: *Salvo jure alterius, si ve sine præjudicio alterius*: neque enim Papa aut Princeps retribere censendus est cum derogatione juris alterius, nisi aliud exprimat, cum commodius sit, si non possit subvenire alteri, nisi alter lædatur, neutrum juvari, can. denique, causa. 14. Quest. 5.

III. In Rescriptis ad beneficia datis, ea etiam clausula habetur: *Sis, cui datur, dignus sit* (id est, nullum Canonicum impedimentum habeat) ad beneficium Ecclesiasticum obtinendum, ut colligitur ex c. cum alio 17. juncta Gloss. fin. h. t. Ita ut hæc clausula ipso jure rescripto tali insit, & non tam faciat collationem conditionatam, quam informet conferentem, quid agere debeat.

IV. Habentur etiam in Rescriptis alie nonnunquam clausule speciales, ut cum causa v. g. pluribus quidem decidenda delegatur, ea tamen etiam clausula additur: *ut si omnes nequiverint simul exequendis commissis interesse, alter vel plures alii nihilominus exequantur*: intelligendo hanc clausulam, tam de impotentia juris, quam de impotentia facti juxta c. scisciatum. 13. juncta Gloss. V. imped. h. t. & nõ nequiverint, intelligendo etiam pro noluerint juxta c. prudentiam. 21. de officio delegati, ut ne scilicet, per alterius

Compend. Pirhing.

malitiosam voluntatem, nulli præjudicans rescripti gratia impediatur: debet tamen impeditus, per nuntium ad alios conjudices destinatum, aut alia ratione impedimentum hoc illis significare.

Simili modo plerumque Rescriptis Gratia ad beneficia obtinenda, ea etiam clausula inseritur, aut inserta habetur: *si pro alio non scripsimus, qui eandem Gratiam prosequatur. c. mandatum. 38. h. t.* neque enim mens Pontificis est, collationem ordinariam super receptione seu institutione duorum gravare (nisi id exprimat) nisi posterioris Pontificis litteræ prioris Pontificis mandatum, quod ad talem Ecclesiam dedit de providendo alicui circa beneficium, vel Canonicatum in Ecclesia tali, tantum prosequerentur, prout habetur in c. litteris 39. h. t. cum in tali casu non tam hic posterior Pontifex gravaverit Ecclesiam duobus mandatis, quam prioris Pontificis gravamen prosecutus sit: ad quod vi officii sui, saltem ex aliqua decencia, & honestate tenebatur: vix tamen aliquis hujus c. hodie usus est, non tantum, quod gratiæ expectativæ sublatae sint per Concil. Trident. sed quod ex stylo Romanæ Curia statim post promotionem suam Pontifex talia de providendo mandata, quæ nondum executioni data fuerunt, revocet, prout habetur in c. 39. & 40. de prebend. in 6.

SECTIO. III.

De forma Rescriptorum.

§. I.

Qua ratione servandus sit ordo,
& forma, seu modus in Rescriptis
prescriptus?

D

Resp.

Resp. 1. In Rescriptis verborum seu Rescripturæ ordinem servandum omnino esse, ita ut si ordo hic pervertatur, aut transponatur, non tantum contra formam Rescripti, sed etiam ultra, aut præter eam agendo aliquid, irritus sit processus *c. cum dilecta 32. juncta gloss. v. transponentes h. t.* tum quod mandati fines diligenter sint custodiendi, tum quod nullam potestatem habeat delegatus, nisi quantum ipsi juxta Rescripti formam à delegante conceditur) nisi forma Rescripti, in favorem præcisè partium concessa, ab his remittatur, aut forma, vel modus procedendi præscriptus non tam de jure communi (quo in casu juxta juris communis præscriptum forma talis, vel substantialis, vel accidentalis tantum erit) sed de novo à delegante præscribatur (quo in casu modus ille præscriptus substantialis erit) ita ut tali formam non servatam, aut sit irritus, prout probant relatum *c. & relatæ rationes*; si tamen de alia mente delegantis, vel ex stylo Curie, vel ex modo loquendi, vel ex aliis circumstantiis &c. nihil colligatur. Et hinc, quavis de pluribus alternativè, vel disjunctivè, ut inquirat delegatus, delegans præceperit, ad executionem tamen Rescripti obtinendam, unum ex illis esse verum sufficit, juxta *c. inter ceteros. 4. h. t.* cum factis sit ad veritatem propositionis disjunctivæ, alterutram veram esse.

§. II.

An & quomodo duobus Rescriptis impetratis in eadem causa, in posteriore mentio fieri debeat de priore.

Certum est 1. quod in Rescriptis justitiæ, sive ad lites impetratis, si in

eadem causa ad diversos judices delegatos plura talia rescripta impetrantur, in posterioribus mentio fieri debeat de prioribus, ita ut absque tali mentione posterius rescriptum impetratum, non quidem ipso jure nullum sit, annullari tamen & rescindi per oppositam exceptionem possit, & possint per prius Rescriptum, jam delegatis præsentatum, impetrati delegati judices procedere in tali causa, *c. ceterum. 3. h. t.* nisi, qui prius rescriptum impetravit, dolosè & malitiosè per annum eo usus non fuerit, aut nisi prius fuerit subreptitiè impetratum: his enim in casibus omnino validum est posterius rescriptum impetratum, quamvis prioris nullam mentionem fecerit, juxta *c. plerumque. 23. h. t.*

Certum est 2. tolli prius rescriptum & procedi debere juxta posterius, si in hoc posteriore mentio prioris rescripti, seu factæ jam delegationis facta fuerit, juxta relatum *c. ceterum §. si vero*, cum posteriora, si legitima priorum mentio fiat, derogent prioribus argu. *c. bona. 3. de confirm. ut. & inur.* nisi fortasse ad instantiam, in favorem præcisè partis, concessum hoc posterius rescriptum sit, atque huic favori suo cedere velit, qui posterius hoc rescriptum impetravit, ut juxta prius rescriptum procedi possit.

Certum est 3. Si prius rescriptum ad judices delegatos communi partium litigantium consensu impetratum fuit, nullum esse posterius rescriptum, ab una postea parte, nesciente altera, & nullam factam mentionem, quod prius rescriptum communi consensu impetratum fuerit, ad alios judices delegatos impetratum, juxta relatum *c. ceterum juncta glossa V. de commiss.*

mis non tantum, ut ne alter injustum damnatum patiat, quo nesciente alii iudices petiti fuerunt, contra eos, qui communi consensu prius impetrati fuerunt, sed ut satis fiat etiam per expressam derogationem Regulæ Cancellariæ de non tollendo jus alteri quomodolibet quaesitum.

§. III.

De quibus mentio fieri debeat in Rescriptis beneficialibus.

Rescriptum, quod conceditur Clerico pauperum (& ab aliquibus Rescriptum beneficiale iustitiæ dicitur, eo quod iustum sit Clerico pauperi, beneficium conferre, ne mendicare cogatur) si in eo non fiat mentio proprii patrimonii, quod habet, aut pensionis, vel aliorum reddituum etiam laicalium, nullum est & invalidum; non tamen invalidum est illud Rescriptum, quod ad beneficium obtinendum Clerico conceditur in forma dignum, & communiter dicitur Rescriptum gratiæ, aut gratiosum, quamvis de patrimonio, aut talibus redditibus, quos etiam pingues habet, nulla fiat mentio: sicuti enim in forma pauperum ad obtinendum beneficium rescribere non vult Pontifex, nisi verè pauper aliquis sit, qualis non est, qui patrimonium, aut similes redditus compatentes habet, ita gratiosè etiam nonnunquam rescribit ad obtinendum beneficium, ubi paupertas non urget, sed merita, & aliæ convenientes qualitates exigunt; ergo ad illa Rescripta impetranda, ut ne errare videatur Pontifex, patrimonium, & similes redditus explicandi sunt, si aliquos ha-

beat impetrans; si tamen beneficium quod quis habet, quamvis illud tenue sit, in impetrando rescripto beneficiali, sive iustitiæ illud sit, sive merè gratiæ, taceat impetrans, nullum est illud, & subreptitium *c. postulasti. 27. h. t. & c. proponente. 42. eodem.* cum enim nolit Pontifex ad multas fraudes cavendas, beneficium alicui concedere, qui beneficium jam habet, & huius in impetrando alio nullam mentionem facit, consequenter expressio beneficii jam obtenti (qualecunque illud sit, cum iura simpliciter & absolute loquantur, est de essentia, sive forma rescripti beneficialis post modum obtinendi, nullum autem est Rescriptum, quod sua forma sive essentia caret.

Quin imò in *c. ad aures. 8. h. t.* vult etiam Pontifex, ut in Rescripto ad aliud beneficium à se impetrandum, exprimat etiam qualitas beneficii jam ante obtenti, utrum scilicet hoc sit Dignitas, pensionatus, beneficium curatum, aut perpetuam residentiam requirens, utrum sit juris Patronatus, electivum, vel unitum alteri beneficio, aut beneficium Ecclesiæ Cathedralis, quorum reddituum sit, attendendo saltem praxin & stylum Curia, ac Regulas Cancellariæ (nisi certum aut verisimile sit, Papam nihilominus, etiam si qualitas beneficii expressi fuisset, illud concessurum fuisse, cum hæc qualitatis expressio, quamvis requiratur, de forma tamen Rescripti non sit arguenda. *c. ad aures* iuncta *Gloss. in casu* (& in *c. ad audientiam. 31. h. t.* vult, ut de Rescripto, seu mandato prius impetrato à Sede Apostolica, ad beneficium obtinendum ab impetrante, fiat mentio, quamvis eidem renunciât pro pensione

v. g. aliqua impetranda (cū renuntiatō talis sine consensu Pontificis facta, Si noticiā censeatur argu. *c. relat. ad audientiam juncta gloss. V. renunciantes, & c. ult. de pactis*) & in *c. in nostra. 32. h. t.* vult Pontifex, ut, si quis vi Rescripti Apostolici in Canonicum v. g. certæ Ecclesiæ receptus jam sit, absque eo tamen, ut præbendam habeat, in posterioribus literis ad aliud beneficium, in alia Ecclesia obtinendum, factæ jam in Canonicum receptionis, vi prioris Rescripti, specialem mentionem faciat (cū in tali casu ius ad rem jam habeat, ad præbendam scil. in prima Ecclesia, ubi Canonicus receptus est, obtinendam, cuius expressam mentionem, ob allatam fraudum cavendarum rationem vult fieri Pontifex) & in *c. constitutus 19. h. t. ac c. cum aliquibus. 4. eod. in. 6.* vult, ut impetrans Rescriptum ad beneficium in certa Ecclesia obtinendum, si contra illius Ecclesiæ statutum aliquod, aut consuetudinem, præsertim si juramento hæc, aut alio speciali modo confirmata sint, statuti illius aut consuetudinis mentionem faciat, ita ut, nulla tali mentione facta, rescriptum tale sit ipso jure nullum & irritum, nisi clausula derogatoria: *non obstante statuto aut consuetudine, etiam juramento, aut alia qualibet, etiam Pontificiâ confirmatione roboratis:* in Rescripto tali addita fuerit; neque enim mens Pontificis est, tollere talia statuta per Rescriptum suum, nisi derogationis hujus per clausulam insertam mentio fiat. Et denique in *c. cum adeo. 17. h. t.* vult, ut impetrans literas à Papa ad obtinendum beneficium mentionem faciat, quòd sit Clericus, quòd Canonicus quidem sit,

nullam tamen præbendam habeat, cū hæc scire inter sit Pontificis ad rescribendum simpliciter, vel saltem hoc vel illo modo.

Quòd si tamen absentis & ignorantis ab ordinario collatum sit beneficium, vel etiam scienti, quod tamen nondum acceptavit, & hic ad aliud beneficium obtinendum, nullâ factâ mentione prioris collationis, Rescriptum impetret, valida quidem est impetratio Rescripti & collatio alterius beneficii, utrumque tamen simul retinere non potest, si sint secundum Canones incompatibilia talia beneficia; hoc quidem juxta communem Doctrinam Sacrorum Canonum & *c. gratia. 7. h. t. in 6. juncta gloss. V. à sede Apostolica.* Illud verò, eò quòd talis Collatio ante acceptationem nec jus in re, nec jus ad rem propriè & absolutè loquendo conferat, & consequenter nulla videtur necessitas mentionis hujus faciendæ.

§. IV.

De aliis quibusdam, que exprimenda sunt, in impetratione Rescripti vel non?

Resp. 1. Contra ordinem Religiosum à Sede Apostolica privilegiatum, ut per Rescriptum conveniri non possit, nisi expressè illius mentio fiat, nihil valebit Rescriptum, contra monasterium illius ordinis impetratum, si non fiat mentio in Rescripto, cuius ordinis monasterium illud sit *c. cum ordinem 6. h. t.* Neque enim valet Rescriptum, si non servetur forma ad valorem illius in privilegio præscripta, & requisita, nisi tali privilegio, per clausulam derogatoriam

ricam in tali Rescripto positam, sufficienter derogetur.

Resp. 2. Non valere Rescriptum ad lites ab excommunicato (inhabili ad litigandum) impetratum, si nulla excommunicationis in eo fiat mentio *c. dilectus. 26. b. t.* juncta *Gloss. V. Excommunicationis*, ex quo *c.* etiam illud habetur, quod non valeat Rescriptum ab eo impetratum, qui à iudice suâ possessione dejectus est, à beneficio v. g. amotus, si ad restitutionem hoc concedatur, & tamen nulla mentio fuerit facta de causa amotionis: cum enim pro iudice judicialiter procedente stet præsumptio, quod iuste processerit, consequenter interdictum possessorium recuperandæ contra illa locum non habet, nisi causa amotionis prius examinetur, prout etiam *Gloss.* habet in *relat. c. V. viribus carere.*

Resp. 3. In Rescripto impetrato in causa, quæ communis est Prælato & Conventui, quamvis sermè consuetum sit, ut fiat mentio ipsius etiam conventui, absolutè tamen necessarium hoc non est, prout sumitur ex *c. edoceri. 21. b. t.* cum enim Prælato rerum talium seu bonorum communium libera administratio competat, consequenter pro talibus rebus in iudicio ille agere potest, & Rescriptum contra ipsum impetratum (cæteris paribus) valebit, etiam si nulla Conventus facta fuerit mentio.

Resp. 4. In Rescripto gratiæ beneficiæ, dato pro eo, ad idem beneficium obtinendum, in quod per vim prius se intruserat, vel quod per Laicam potestatem acceperat, violentæ intrusionis, aut non Canoniciæ affectationis mentionem fieri debere; aliàs Rescriptum & dependens

ab eo facta inhabili collatio nulla forent, eo quod tacita fuerit veritas, quam si cognovisset Pontifex, vel omnino non rescripisset ad hoc beneficium, vel saltem non tali modo.

SECTIO IV.

De subreptione rescriptorum, & aliis modis, quibus rescripta vitiantur.

§. I.

An ob subreptionem vitientur Rescripta ipso jure seu facto, & ob quas causas fiant obreptitia?

SI propriè & rigidè loqui velimus, alia Rescripta dicuntur subreptitia, alia obreptitia: *Subreptitiè obrenta* dicuntur, quæ obtinentur tacitâ veritate, de jure vel consuetudine aut stylo Curie necessariò, & substantialiter exprimenda; *Obreptitiè obrenta* dicuntur illa, quæ narrata falsitate circa causam motivam, aut aliud substantialiter requisitum obtinentur; quia tamen communis usus hodie loquendi hæc duo nomina confundit, neque nobis vitio verti poterit, si sine singulari vocum harum discrimine de vitiis rescriptorum loquamur.

Ad hujus proinde §. quæstionem respondendo, an scilicet ob subreptionem vitientur rescripta ipso jure seu facto, dicendum videtur, quod rescripta beneficialia, & quæcunque alia gratiosa, ipso jure nulla sint, si sub aut obreptitiè impetratæ fuerint *c. ad audientiam 31. b. t.* & *Clement. i. de præbend.* Rescripta verò ad lites ordinariè quidem, & communi-

ter non sint ipso jure irrita, ope tamen exceptionis ab adversario elidi possint *c. si autem. 9. & c. plerumque 23. h. t.* Cùm enim in casu rescripti beneficiæ aut gratiæ, non sit pars, quæ contra illud excipere possit, sit autem in casu rescripti ad lites, consequenter in illo casu, cessante provisione hominis, debuit providere lex, ne diu detineat beneficium illegitimè obtentum ille, qui per rescriptum subreptionis obtentum illud acquisivit, contrarium verò dicendum fuerat in casu rescripti subreptionis obtenti ad lites.

§. II.

An & quomodo Rescripta fiant obreptitia, si per dolum sint impetrata?

Si obreptio dolosa commissæ sit in rescripto, sive tacite, sive aperte, sive exprimitur falsum (substantiale & essentiali) totum rescriptum, quo ad omnes partes in eo contentas sit irritum (saltem ope exceptionis, si rescriptum ad lites fuerit) ita ut Judex in eo datus non debeat, si ob- aut subreptio talis ei probata fuerit, vel notoria sit ex facti evidentia, nec possit de causa principali, ne quidem secundum formam juris communis cognoscere, quamvis Princeps, si dolum non intervenisset, adhuc, saltem secundum formam, & terminos juris communis rescripturus fuisset: prout habetur expressè in *c. super literis. 20. h. t.* & patet etiam ex *c. sedes. 15. & c. ex tenore. 16. h. t.* (ne fraus sua alicui Patrocinetur) nisi subreptio talis per dolum commissæ, nec substantiæ rescripti ad lites oblit, quæ in jurisdictione delegata consistit, nec formæ

rescripti, quæ est ipse modus procedendi judici delegato præscriptus, nec alicujus alterius, quod per se & intrinsicè ad causam commissam pertinet, causa fuerit, cùm ex fraude taliter commissæ nullum commodum sentiat mendax precator; vel nisi non tam impetrans, qui verum proposuit, quàm curialis seu sollicitator, aut scriptor fraudem commiserit, cùm in tali casu non impetrans, qui verum proposuit, in culpa sit, sed sollicitator talis; vel de veritate precum tantum, & articulo subreptionis cognoscat Judex in tali rescripto datus, quod facere potest.

§. III.

An & quomodo ob subreptionem vitentur Rescripta obtenta per simplicitatem vel ignorantiam?

Si subreptio non dolosa fuerit, sed ex simplicitate, vel ignorantia, etiam crassa, fuerit commissæ, sive per expressionem falsi, sive per suppressionem veri (substantialis & essentialis) contigerit, rescriptum ad lites non redditur absolute irritum, si taciturnitas talis, aut talis falsitas non sit causa concessionis absolute, prout patet ex citato *c. super literis §. inter alios* (nisi causâ concessionis, hic & nunquam per ignorantiam, aut simplicitatem tacitâ, vel falsè expressâ, aliud quo ad substantiam rescriptam impetrasset) hoc enim in casu, non tam attendendum est, quid Princeps acturus fuisset, si nulla veri suppressio, aut falsi expressio intervenisset, sed attenditur, quid egerit. Et hinc 1. nullum esset (saltem ope exceptionis) rescriptum, si solutionem petens ex causa donationis & c. debitam,

bitam, ad solutionem hanc faciendam rescriptum impetrasset, petens ex simplicitate, aut per ignorantiam solutionem ex causâ mutui, cum tamen illa ex causâ donationis, venditionis, &c. debeatur. 2. Vitiatur totum rescriptum; si suppressio veri, aut expressio falsi causa sit concessionis rescripti quoad substantiam alterius ab eo, quod impetratum fuisset, si veritas expressa vel falsitas ommissa fuisset, quamvis ex simplicitate, aut per ignorantiam subreptio illa commissa fuisset. Et 3. invalidum etiam est rescriptum tale, in quo impetrando commissa fuit ex simplicitate vel per ignorantiam subreptio, si à Principe V. G. contra sententiâ jam olim ab eo latam impetratum sit, & nulla hujus sententiæ jam olim latæ mentio in tali rescripto fiat, prout patet, tum ex *cit. c. super litteris*, tum ex *c. eum olim. 12. de sent. & re judic.* & ex defectu voluntatis in concedente satis probatur.

§. IV.

An ob subreptionem, qua contingit circa causam non finalem ac Principalem, sed impulsivam tantum, vitientur Rescripta?

Probabilis est Rescriptum quodcumque sive ad lites illud sit, sive Gratiæ, non esse subreptitium, nisi suppressio veritatis vel expressio falsitatis ad rem postulatam per se, & intrinsecè pertinentis contingat circa causam finalem, seu Principalem concessionis, non autem, si contingat tantum circa causam impulsivam, nisi stylus curiæ vel jus veri expressionem specialiter requirat, ut sumitur ex

c. dudum. 14. §. nos igitur. de prebend. in 6. quod scilicet, in illo casu, non autem in hoc deficiat voluntas concedentis, uti ex relato *c. colligitur*; & quamvis in omni rescripto, saltem tacitè, sub intelligatur ea clausula: *si preces veritate nitantur*, intelligi tamen debet hæc clausula de veritate causæ motivæ, non autem causæ impulsivæ, cum illius veritas moveat, ad rem simpliciter concedendam, vel saltem ad rem certo modo, & cum certis restrictionibus, clausulis, limitationibus, &c. concedendam, non autem veritas hujus, quæ tantum movere potest, ad facilius, citius, & liberalius, &c. rem quæ petitur, concedendam. Colligi autem potest, quod expressa v. g. veritas in rescripto causa finalis sit, si in aliis rescriptis dependenter à tali causa expressa, res, quæ hic & nunc petitur, concessa fuit, juxta stylum curiæ, & rescribentis consuetudinem; vel si sola & unica aliqua causa expressa fuerit; cum enim non rescribat Pontifex sine causa finali, consequenter, si unica tantum expressa sit, finalis ea esse debet; si verò plures in rescripto causæ positæ sunt, unica tamen tantum vera sit, quæ sola in aliis similibus rescriptis ad concedendum tale rescriptum sufficiens est, hæc unica causa finalis erit, cum pro valore actus, nemini præjudicantis, non tantum in hoc casu, sed in dubio etiam, ubi colligi non potest, utum finalis, an impulsiva causa tantum sit, præsumi debeat; potest tamen etiam ex eo colligi, quod impulsiva tantum causa aliqua sit, si ad rem postulatam extrinsecè tantum, & mere accidentaliter se causa talis habeat.

§. V. An

§. V.

An vitiata una parte Rescripti ob subreptionem, vitientur etiam alie partes eiusdem Rescripti?

Si plures partes inter se separabiles Rescriptum contineat, five gratiæ, five ad lites illud fuerit, & sub-vel obreptio circa causam finalem totius Rescripti contingat, totum Rescriptum est irritum, five scienter, & per dolum, five per ignorantiam, aut simplicitatem sub-vel obreptio contigerit, ex defectu scilicet voluntatis in concedente, concessionem suam huic causæ finali alligante. Si vero contingat subreptio circa unam partem tantum Rescripti, & partes separabiles sint, nullum quidem erit Rescriptum tale, circa omnes partes, si dolose mendax fuerit circa causam finalem, aut substantialem expressam preceptor talis (in pœnam scilicet commissæ malitiæ) si partes tamen sint separabiles, & circa unam tantum partem subreptio per ignorantiam & simplicitatem contigit, validum erit Rescriptum tale, circa illam partem, circa quam nulla subreptio contigit, tunc quod utile per inutile vitari non debeat, tunc quod taliter per ignorantiam aut simplicitatem errans nullam pœnam mereatur, ut dictum. Quin etiam probabile est, si plures gratiæ in eodem Rescripto concedantur, ita tamen, ut nulla ab altera dependeat, aut alteri connexa sit, circa quam subreptio dolose commissæ fuit, quod Rescriptum tale circa gratiam quidem illam, circa quam subreptio commissæ fuit, nullum sit, validum tamen sit circa gratiam illam, nihil cum altera connexam, circa quam nulla fuit com-

missa subreptio; tunc quod censeantur virtualiter duo Rescripta, & tantum unum materialiter, tunc quod pœnæ extendendæ non sint, ergo etiam si quæ ad partes connexas noceat dolus commissus, non tamen nocebit, quoad partes non connexas argu. *c. si eo tempore 9. h. t. in 6.* nisi illa pars, circa quam dolus commissus non est, habeat se tantum ut accessorium quid ad alteram partem, circa quam dolus commissus est, quæ Principalis pars habetur *c. consuetus 19. h. t.* cum cadente Principali cadat etiam accessorium, argu. *Regula. 42. in 6.*

§. VI.

An motus proprius tollat vitium subreptionis in Rescriptis?

Rescripto motu proprio concessio opponi non potest vitium subreptionis ob tacitam veritatem necessariò explicandam *c. si motu proprio 23. de prebend. in 6. & Clement. si Romanus. 4. eod.* nocet autem illi, & nullum facit Rescriptum tale, si vitium obreptionis commissum sit circa causam finalem, &c. in hoc enim casu clarè patet, concedentium intentionem deesse, quæ explicatis alligatur, quod non patet in priore casu, cum motus proprius non alligetur illis, quæ tacentur, & mereatur liberaliorem explicationem, ut operetur aliquid, Neque tamen motus proprius tollit inhabilitatem Personæ, aut inducit dispensationem circa ætatem V. G. defectum natalium, irregularitatem, incompatibilitatem beneficiorum, &c. uti colligitur, ex *Gloss. in relatam c. si motu V. non ob hoc.* & ex *Gloss. in relatam Clement. V. validum* (cum motus proprius, quamvis libera-

liberalis explicationis sit, non ampliet tamen, aut extendat Gratiam ultra intentionem concedentis) ita ut in dubio, utrum motus proprius hanc etiam gratiam, quæ V. G. in præjudicium tertii foret, concedat, juxta juris communis dispositionem explicari ille debeat, cum motus proprius tantum vitium subreptionis, nulli præjudicans tollat.

§. VII.

An & quomodo propter errorem qualitatis adjectæ vitentur Rescripta, & obreptitia fiant?

SI error contingat circa qualitatem adjectam per modum demonstrationis non vitatur rescriptum, si de rei substantia constet (quæ enim qualitates Patriæ V. G. Diocæsis, nominis proprii, familiaris, officii, &c. adduntur ad demonstrandam Personam, cui gratia conceditur, vel ad demonstrandam rem, quæ conceditur, non tollunt intentionem concedentis, etiam si vera non sint, sed tantum juvant ad certius rem, vel Personam cognoscendam, ergo si constet de rei substantia, error talis nihil oberit) nisi error talis sit causa finalis, ac principalis concessionis rescripti *c. significante. 34. b. r.* aut redundet in substantiam Personæ, cum certum sit apud omnes, errorem, si substantialis sit, vitare rescriptum: quod si tamen error contingat circa qualitatem, taxationis, seu restrictionis, aut determinationis causâ adjectam, vitatur rescriptum, seu dispositio, quamvis error non sit illius concedendæ causæ, nisi aliud expressè constet de intentione concedentis, uti colligitur

Compend. Pirhing.

ex relato c. significante; cum enim ob deficientem, in tali casu adjectæ taxationis, intentionem Rescribentis, rescriptum nullum sit, si error in taxata qualitate intervenit, consequenter, ubi de contrariâ intentione constat, non oberit admittendus error rescripti valori, uti colligitur etiam *ex c. cui 27. de præbend. in 6.*

§. VIII.

De aliis modis sive causis, ob quas Rescripta redduntur invalida, vel suspecta de falsitate?

1. SI rescriptum à Sede Apostolicâ impetratum, manifestum in constructione errorem, seu solæcismum contineat, fidem non meretur illud, sed in totum est invalidum *c. ad audiendum. 11. b. r.* cum enim talia rescripta per manus multorum officialium transeant, legantur, & relegantur, non est verosimile, illos vel errorem non advertisse, vel non emendasse. Ob quam causam nullum etiam est illud rescriptum, quod contra jus commune & communem stylum, seu Praxin Curie Romanæ emanavit, nullâ per clausulam derogantem mentione illius factâ, ut colligitur *ex c. 2. & 5. b. r.*

2. Reici debet rescriptum ad lites concessum tanquam suspectum de falsitate, si per illud omnia eorum, qui rescriptum impetrarunt, negotia tam præsentia, quam futura, unius judicis, vel plurium arbitrio committantur *c. ad hoc. 10. b. r.* ob nimiam scilicet generalitatem, ordinariorum judicum præjudicium, & incertitudinem delegatorum, nisi, salvâ æquitate naturali, in talibus etiam rescriptis concedendis, ex certa scientia, aut ex

E

pleni-

plenitudine potestatis agat Pontifex; aut secunda iussio sive alterum mandatum in casu dubie intentionis, circa modum concessionis insolitum, videatur expectandum, prout iterum colligitur ex *relato significante*.

3. Redditur falsum, vel de falsitate suspectum rescriptum, si in illo Patriarcharum aliquis, Archi-Episcoporum vel Episcoporum, quos Pontifex venerabiles fratres vocare solet, appelletur filius: vel si aliquis ex Regibus aut Principibus, quos filios nominare solet, vocetur frater *c. quàm gravi 6. de crimine falsi*. Ex quo *c.* uti & pluribus aliis, plura etiam alia rescriptorum vitia colligi poterunt, ut in sequentibus apparebit.

SECTIO V.

De usu & executione Rescriptorum, eorumque abusu.

§. I.

Quibusnam personis committi possit, ac debeat executio Rescriptorum Apostolicorum, & ubi eorum executio fieri debeat.

Resp. 1. Executio Rescriptorum in causis, aut negotiis Ecclesiasticis concessorum, quæ à sede Apostolica, ejus Legatis, aut delegatis ab his, emanant, non nisi Personis in Ecclesiastica dignitate constitutis (sive perpetuam hanc habeant, sive temporalem tantum ad nutum revocabilem) aut personatum obtinentibus, vel cathedralium Ecclesiarum Canonicis committi potest ac debet: prout constat ex *c. statutum. 11. h. t. in 6.* (tum ob reverentiam sedis Apostoli-

cæ, tum quod hi censeantur SS. Canonum periti, ut securè illis talia committi possint) si tamen saltem mixti sint hi executores, ita ut jurisdictionem aliquam admixtâ habeant, ad examinandas preces v.g. ad contradictores compescendos &c. & non sint tantum metri executores, quibus nulla jurisdicção commissa est, sed nudum ministerium executionis, aut articulus aliquis non jurisdictionalis, aut talis commissio ex certa scientia concessa esset etiam Clerico simpliciter, uti patet ex *Gloß. in relat. c. statut. v. literarum*. Ordinarii verò inferiores rescriptorum suorum executionem dirigere possunt ad quemvis Clericum, tum quod speciale nihil de his statutum sit in jure communi, tum quod ordinarius suorum Clericorum in Diocesi suâ existentium sufficientem notitiam habere censeatur, ut bene ipsi perspecta sit cuiusvis, ad executionem mandatam exequendam idoneitas. Notandum tamen etiam ex *Tridenti*, quod hoc *Seß. 25. c. 10. de reformatione* statuat, ut præter ordinarios locorum, in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diocesanis, aliquot personæ (quatuor saltem in qualibet Diocesi) juxta constitutionem *Bonsacii. 8. in cit. c. statutum*, qualificatæ designentur, quibus, vel eorum substitutis, causæ Ecclesiasticæ à sede Ecclesiastica, vel ejus Legato, aut Nuntio committi possint.

Resp. 2. Causæ, quæ Auctoritate sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus delegantur, non nisi in civitatibus, aut locis insignibus, ubi copia peritorum (juris scilicet) haberi facile potest, cognosci, aut tractari debent, juxta *relatum c. statutum*, ut ex assessorum talium, aut consiliariorum

filiorum prudentia res tales commodius expediantur.

§. II.

In quo loco Reus, per Rescriptum impetratum contra illum, conveniri debeat?

DE Jure antiquo non potest aliquis per litteras Apostolicas trahi vel citari ad iudicium ultra duas dietas, id est, ultra iter duorum dierum, extra fines Diœcesis suæ, ubi Domicilium habet; nisi cum consensu utriusque partis litteræ aliter sonantes fuerint impetratæ, aut juri huic expressè derogatum fuerit *c. nonnulli 28. h. t. cum æquitas non patiatur, cum tali injuriâ, damno & sumptibus vexati reum ad placitum solùm actoris: & hinc de jure novo hoc ipsum magis restrictum est, ut trahi non possit per litteras tales ad iudicium reus extra fines suæ diœcesis ultra unam Dietam, sive unius diei iter c. statutum 11. §. cum verò h. t. in 6. nisi res, de qua litigatur, sita sit extra diœcesin habitationis, ultra unam Dietam. Imò si actor & reus sint ejusdem civitatis aut diœcesis, domicilium in eadem diœcesi vel civitate habentes, causæ inter illos exortæ, non possunt à sede Apostolica, vel Legatis ejus, committi extra civitatem, aut diœcesin, ubi Domicilium habent, prout habetur in relato *c. statutum juncta Gloss. V. ejusdem civitatis*, nisi contra Episcopum suum, aut Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, vel contra universitatem civitatis, villæ, aut castri actio sit instituenda, aut ob potentiam adversarii, vel aliud justum impedimentum civitatem talem, aut Diœcesin*

ingredi non possit actor, aut reus; Non potest autem Judex à sede Apostolica delegatus (sive actor & reus ejusdem sint civitatis, aut Diœcesis, sive sint diversarum) partes citare, aut causam cognoscere, extra civitatem, aut Diœcesin, ad quam est deputatus, nisi expressus partium consensus accesserit, prout habetur in relato *c. statutum §. in nullo quoque juncta Gloss. V. prædictorum. & V. expressus*, ne videatur sub forma mandati in favorem partium determinati excedere.

§. III.

De executione Rescriptorum sedis Apostolicæ, vel Delegatorum faciendâ ab Episcopo seu Ordinario loci, vel Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, sede vacante.

Resp. 1. si Delegatus Papæ ordinatio loci mandat aliquid, quod ad executionem causæ sibi commissæ pertinet; illud Ordinarius exequi debet, dummodo delegatus litteras suæ delegationis exhibeat; quæ fidem faciât de potestate accepta, prout habetur in *c. sanè 11. de officio delegati*, & colligitur etiâ *ex c. cum contingat. 24. h. t.* quia in ea causa delegatus superior est ordinatio, eò quòd vices Papæ representet.

Resp. 2. Quòd, vacante sede, Cathedralis Ecclesiæ Capitulum, si ad illud rescripta sedis Apostolicæ, de conferendo alicui beneficio, destinentur, non possit ea exequi, circa beneficium vacans, ad solius Episcopi liberam collationem pertinens, *c. unico §. cum verò. ne sede vacante &c. in 6.* (nisi certam Personam

E 2

nomi-

nominasset Pontifex, cui beneficium conferti vellet, cum hæc collatio non jam libera, sed necessaria videretur, cujus executio, vacante sede, penes Capitulum est) præsertim si tempore præsentationis litteratum novus Episcopus electus jam sit, & confirmatus, cum Capitulum post confirmationem Novi Episcopi, Episcopalia negotia exercere non possit *c. eam te. 7. h. t.* neque possit præjudicare successori, circa beneficium ad liberam illius solius collationem perti- nens, juxta relatum *c. unicum in 6. c. c. 2. eodem in antiquis.*

§. IV.

De executione Rescripti impetrati ad absolvendum Excommunicatum.

Rescriptum impetratum, ad absol- vendum excommunicatum, qui, servatâ formâ Concilii Lateranensis (non præmissa scil. monitione Canonica, & si- ne causa rationabili, ac manifestâ *c. sacro 48. de sentent. Exco.*) Excommunica- tum se fuisse apud Pontificem, simplici querelâ, conquestus fuit, exequi quidem debet Excommunicator (regu- lariter enim ejusdem est solvere, cujus est ligare) si ita se habeat res, prout apud Pontificem excommunicatus conque- stus est, non exacto prius juramento, aut cautione præstita de parendo mandatis Ecclesiæ; Si tamen excommunicator pa- tere nolit, judices alii delegati deputari debent, qui mandatum præstitâ prius cautione de parendo mandatis, & cog- nitâ causâ, exequantur, ac excommu- nicatum absolvant *c. ab excommunicato. 41. h. t.* (nisi periculum in mora sit, vel

notoriè injusta sit excommunicatio, in his enim casibus potest Metropolitanus statim excommunicatum absolvere, aut declarare, quod ligatus non sit, *c. ad re- primendam 8. de officio judicis ordinarii*) & excommunicatorem punire, juxta re- latum *c. sacro.*

§. V.

De aliis quibusdam observandis circa executionem Rescriptorum.

I. **J**udex delegatus ad lites à sede Apo- stolicâ, nullum munus à partibus litigantibus accipere potest, præter escu- lenta & poculenta (& hæc quidem ex me- ra liberalitate oblata, ita ut nec directè, nec indirectè, nec expressè, nec tacitè petita sint; & quæ possint intra paucos dies juxta prudentis arbitrium, & specta- tis aliis circumstantiis personæ dantis, ac recipientis, & rei, quæ offertur &c. ab- sumi) nisi necessarium sit, propter cau- sam sibi commissam extra domicilium su- um excurrere, ubi moderatas expensas à partibus accipere illis conceditur juxta *c. statutum 11. §. insuper h. t. in 6.* Sicuti enim vult Pontifex, ut cum omni purita- te judicium coram delegato suo procedat, ita nec urbanitari circa esculenta & poculenta præjudicare vult, nec damnum aliquod pati delegatum ob commissio- nem sibi factam. Quin etiam in hoc ipso *c.* non vult Pontifex, ut judex à se dele- gatus, assessorem, sive consiliarium ad causæ sibi commissæ decisionem adhibeat, nisi necessitas aliqua, aut judicis dele- gati impericia urgeat (ita quidem consu- lens sumptibus partibus litigantium, ut tamen illis etiam per negligentiam, aut aliud rationabile judicis delegati impedi- mentum,

mentum, præjudicare non velit) & tam hujus, quam necessariorum Notariorum salaria ita moderari, ut non cum ipsis in lucro participet, ad restitutionem obligandus, si quid contra egerit, nihil illi proficiuâ remissione partium (nisi post remissionem factam, & causâ jam finitâ, partes ultra donum hoc judici iterum offerant, quod accipere non videtur prohiberi) ita ut hac Constitutione non servatâ, processus de jure hoc novo sit nullus, & invalidus, prout in *citato c. §. ult. decidit Pontifex*, & advertit *Gloss. fin. in hoc capitulum*; si tamen ab ordinario inferiore delegatus iudex sit, prohibitus est, quod ne esculenta aut poculenta à litigantibus accipere possit, nec itineris faciendi expensas; cum hæc omnia sufficienter ab ordinario delegante præstanda sint, qui sicuti ex officio ad causas tales expediendas obligatur, ita delegato à se iudici in causis talibus ex officio providere debet.

2. Auditor in Romana Curia deputatus à Papa, ad cognoscendum, & pronunciandum in controversia, super aliquo beneficio, cuiusmodi illud de jure sit debitum, potest illud de jure novo absque alia commissione, ei conferre cui debitum esse pronunciavit *Clement Auditor. 3. h. t.* non potest autem hoc Auditor extra Curiam Romanam deputatus, qui sine nova commissione non potest taliter conferre beneficium, de quo litigatur, neque enim hic causam sibi commissam cum aliis Auditoribus conferre solet, sicut ille, & consequenter huic cum pluribus consultanti facilius etiam collatio conceditur, quam illi, qui suum unius iudicium sequendo faciliè in tali causa errare potest.

§. VI.

De variis abusibus, qui fieri possunt in usu, & executione Rescriptorum.

1. Abutitur Rescripto, qui quod suo nomine impetravit, post modum alii ejusdem nominis, ad utendum tradit, ut hic, qui tali modo accipit per easdem litteras, quosvis alios indebitè fatiget *c. ult. h. t.* Cum enim Rescripta justitiæ sint jura personalia, consequenter Personam, cui concessa sunt, non excedunt, ita ut ob commissum crimen falsi, puniri etiam possit, qui litteras tales alteri taliter dedit, & ob crimen stellationatus, qui litteras taliter accepit.

2. Abutitur Rescripto, qui litteras tales impetrat, contra illas personas, contra quas nullam habet actionem, eò quòd calumniosè tales ad iudicium trahat, prout habet *Gloss. in citatum c. ult. V. quæst.*

3. Abutitur Rescripto, qui, quas litteras ad controversiam præsentem decidendam impetravit, ad futuras controversias aut causas, quæ tempore impetrationis nondum erant, trahit, juxta *cis. c. ult.* & ea, quæ supra dicta sunt.

4. Abutitur Rescriptis, qui super eodem negotio plura Rescripta ad diversos iudices impetrat, vel super diversis quidem negotiis, quæ commodius tamen coram uno iudice, ratione connexionis v. g. tractarentur: hæc enim cum ad fatigandum v. g. reum variis laboribus ac sumptibus fieri videantur, merito improbantur relato *c. ult. & c. dispendia 3. eod. in 6.* ita ut de jure novo processus sit ipso jure irritus.

5. Abutitur Rescripto reus, si reconvenire volens suum Actorem litteras &

E 3

ipse

iple adversus actorem impetrat ad diversos iudices, & vi illarum citari faciat Actorem eodem tempore ad diversa loca, ut si non comparuerit, quasi contumax excommunicetur, & ab agendo sic repellatur, juxta relatam *c. ult.* cum in reconventionem apud eosdem Iudices agi debeat, nisi forte ut suspecti repelli possint &c.

SECTIO VI.

De derogatione, revocatione, & extinctione Rescriptorum.

§. I.

An per Rescriptum Speciale derogetur Rescripto generali?

Resp. Si Rescriptum generale nihil aliud concedat, quam quod jure communi concessum est, tunc Rescriptum speciale, continens aliquid, contra vel præter jus commune, derogat rescripto generali, tamen si de eo non fiat mentio *c. 1. h. t.* quia cum Princeps, cujus est juri communi derogare, præsumatur notitiam sufficientem juris communitis habere, consequenter, sicuti juri communi derogare censetur, si contra illud Rescriptum concedit, ita etiam Rescripto tali generali, jus commune, continenti, derogare per speciale Rescriptum censetur, si contra jus commune contineat aliquid, etiamsi nullam hujus mentionem faciat. Quin imò, quia absolute mandatum speciale derogat generali juxta relatam *c. 1.* & generi per speciem absolute derogatur, juxta *reg. 34. in 6.* etiamsi per Rescriptum generale concederetur aliquid, ultra jus commune, ut sæpius v. g. appellari possit, quam de jure concessum est &c. adhuc tamen per spe-

ciale mandatum sive Rescriptum derogaretur generali, quamvis in posteriore speciali nulla illius mentio facta fuisset *c. dudum 14. §. nos igitur de prebend. in 6.* Cum Princeps alicui Privilegium concedens semper sibi potestatem reservasse censetur, exigente necessitate, vel utilitate, generali illi concessionem, per speciale Rescriptum derogandi, vel limitandi illud, si scilicet per generale Rescriptum, non sit alicui, quoad omnem speciem contentam, jam acquisitum jus in re (cum nolit Princeps huic præjudicium facere circa tale jus in re, nisi specialem mentionem faciat, juxta hodiernas etiam regulas Cancellariæ) & si speciale Rescriptum posterius, alteri in terminis quidem generali in effectu tamen speciali non sit directe oppositum; in hoc enim casu Rescriptum posterius, non derogat generali priori, nisi specialis hujus mentio fiat *c. ex parte 12. de off. deleg. juncta Gloss. V. non obstantibus, & Gloss. in c. V. mandatum h. t.* quia censetur in tali casu priorum litterarum non fuisse memorem Pontifex. Quod autem hætenus de Rescripto speciali, derogante Rescripto generali prius concessio dictum est, multò magis dici debet de Rescripto generali, post speciale jam impetratum, concessio, quod nempe huic posteriori generali deroget etiam Rescriptum speciale prius concessum, vel potius, quod per Rescriptum speciale prius concessum, hoc posterius generale limitetur, & restringatur, nisi de speciali expressa mentio fiat. Sumitur *ex c. Abbatem 40. juncta Gloss. V. per litteras generales h. t.* quia in toto jure generi per speciem derogatur, *reg. jur. 80. ff. si species præcedat, si subsequatur.*

§. II.

§. II.

*De pluribus Rescriptis benefici-
bus, simul vel successivè impetratis, quòd
nam validum ac præferendum sit, &
deroget alteri?*

Resp. 1. Si quis plura rescripta ad idem beneficium, sive eodem tempore data, sive successivè, sub eodem tamen tenore impetret, quamvis nulla fiat mentio de altero, omnia tamen sunt valida, modò inter se non pugnent *Argu. c. in nostra 32. h. t.* cum enim eandem formam habeant, meritò in effectu censentur unum rescriptum; vel alterum ad majorem tantùm securitatem censetur obtentum. Si tamen sint ad diversa beneficia, probabilius est, posterius validum non esse, si prioris non meminerit, ne fraudibus detur occasio.

Resp. 2. Si duo impetrent rescripta, ad idem beneficium, in certâ Ecclesiâ, præferri debet, in affectuone præbendæ, is, qui prius impetravit litteras tales, ei, qui posterius impetravit, prius tamen præsentavit, quamvis hic prius in canonicum receptus sit (neque enim præventio juris in una parte, inducit etiam præventionem in altera parte) nisi præbenda etiam jam illi collata esset, priusquam ille, qui prius rescriptum impetravit, litteras has suas legitimè præsentavit *c. tibi 12. h. t. in 6.* quòd si tamen prior rescriptum beneficiale impetrasset, ut de præbenda & canonicatu ipsi provideretur, si Episcopi & Capituli consensus accederet; posterior verò rescriptum absolutè impetrasset, ut de Canonicatu & præbenda ipsi provideretur; hoc in casu, si uterque jam in Canonicum receptus sit,

hic tamen, qui posterius rescriptum absolutè impetravit, prius receptus fuerit, quàm conditio in priore rescripto facta impleta fuit, debet hic in affectuone præbendæ præferri illi, quamvis jam Canonico, qui prius, conditionatum tamen, rescriptum obtinuit, ut habetur in *c. si pro te, 3. h. t. in 6.* cum enim conditio suspendat effectum gratiæ usque ad eventum conditionis, conditio autem in hoc casu primùm impleta fuerit, postquam alter in Canonicum jam receptus est, consequenter hujus, quamvis posterioris in rescripto impetrando, prioris tamen in canonicatu obtinendo, conditione illius nondum impleta, potius jus videtur esse ad præbendam obtinendam.

Resp. 3. Si plures à sede Apostolica litteras beneficiales pro eadem Ecclesiâ, eodem die datas, impetraverunt, nec apparet, quis eorum suas prius obtinuerit (qui aliis præferendus esset, si unâ tantùm horâ citius suas litteras obtinisset *juxta Reg. 54. in 6.* potiorum jure eum asserentem, qui tempore prior est) præferri debet is, cui Papa beneficium contulit, illi, cui tantùm conferri in hac Ecclesiâ mandavit, quamvis hic prius suas litteras præsentaverit, ob prærogativam scilicet, conferentis *c. si sede 31. de præbend. in 6.* si verò neutri ipse Papa contulerit beneficium, utrique autem conferri in eadem Ecclesiâ mandaverit, vel utrique ipse contulerit, cum gratiæ sint æquales, præferendus est is, qui prius suas litteras præsentavit; vel certè si nec in præsentando unus prævenit alterum, possunt illi, ad quos spectat canonicorum receptio, unum ex illis, qui placuerit, recipere, altero excluso, nisi de mente Pontifi-

ficis aliter constet *c. duobus 14. h. t. in 6.* cum enim præsumi non possit, quòd voluerit Pontifex unam & eandem Ecclesiam duplici hoc rescripto gravare, nihil tamen appareat, ex quo magis pro uno, quàm pro altero præsumi possit, consequenter penes recipientes erit, quem recipere velint, excluso altero.

Resp. Denique 4. Si quis à Principe ad gratiam legitimè revocatam, & consequenter extinctam, restituatur, restitutionem tamen non fieri cum præjudicio seu læsione juris alteri interea acquisiti, cum restitutio juris legitimè amissi sit nova gratiæ concessio, quæ in præjudicium alterius, cui jus legitimè jam acquisitum fuit, non operatur: & hinc, si quis rescriptum beneficiale obtinuit, quod postea revocatum fuit, similis tamen Gratia in ordine ad eandem Ecclesiam tertio alicui concessa fuit, præferendus hic erit priori in affectatione beneficii, nisi Pontifex expressè aliter disponat, *c. quamvis 8. h. t. in 6.*

§. III.

Quomodo procedendum sit, si super eadem causâ impentur plura diversa rescripta ad diversos Judices, & dubietur, quodnam ex illis sit alteri præferendum?

*R*esp. Si velit in tali casu una pars Judicum delegatorum deferre alteri, ut cognoscat, ad quos super causâ principali Jurisdictio pertineat, possunt illi soli, quibus taliter defertur, super hoc dubio, priusquam de causa principali cognoscatur, decidere. Si tamen neutra pars alteri ad prius dubium decidendum deferre velit, utraque pars Judi-

cum, inspectis rescriptis, & eorum datis decidere debet, cui competat Jurisdictio, nisi consentire, & convenire inter se non possint, quo in casu arbitri, (quos juris vocant) communi consensu eligi debent, qui controversiam hanc definiant *c. Pastoralis 14. h. t.* Ut autem, si plures in quolibet rescripto Judices delegati sint, causam validè decident, non sufficit major omnium delegatorum pars consentire, sed debet major pars cujlibet rescripti consentire, ut si v. g. in uno rescripto quatuor Judices delegati essent, in altero tres, debent, ut validè causa decidatur, vi hujus rescripti, duco consentire, & vi alterius tres, pro ut sumitur ex relato *c. pastoralis*, sic enim habetur consensus omnium, quod enim major pars communitatis facit, omnes facere censentur.

§. IV.

De revocatione Rescriptorum.

*D*uplici quidem modo revocantur Rescripta, tacitè & expressè; quia tamen de tacitâ revocatione sufficienter jam dictum videtur, de solâ expressâ revocatione dicendum aliquid. & quidem in *c. ult. h. t. in 6.* specialiter summus Pontifex concessas gratias & mandata revocat, quæ propter ambitionem petentium importunitatem in perpetuum, sive ad vitæ tempus, concessa sunt, ut quod sibi licere non vult Pontifex, suis successoribus indicetur. In *c. verò ex parte 33. h. t.* revocat litteras à procuratore revocato ad lites impetratas, quæ, (saltem à Personâ extraneâ) impetrari non possunt, sine speciali mandato Domini, ut ex dictis patet.

§. V. An

§. V.

*An Rescripta extinguantur, seu
expirent per mortem concedentis?*

Rescripta Gratia à Principe concessa, cum Clausula: *usque ad beneplacitum illius, vel dum voluerit concedere, vel dum placuerit concedenti*: expirat per mortem tam naturalem quam civilem concedentis, sine aliâ revocatione, *e. si gratosè s. b. t. in 6.* Si verò concedens dicat, *donec revocavero*, non expirat per mortem concedentis: sicut enim, ut in illo casu expiret rescriptum, plus non requiritur, quam ut expiret voluntas concedentis, sive ut non maneat amplius beneplacitum aut voluntas

concedentis, quod fit, quando naturaliter vel civiliter (per depositionem scilicet ab officio, vi cuius potentiam habet ad concedendam talem gratiam) moritur concedens, ita ut in hoc casu, *donec revocavero*, expiret rescriptum, requiritur positivus actus revocans, qualis actus positivus non est, sola mors concedentis. Similiter non expirant rescripta gratia per mortem concedentis, si concessa sint cum clausula, *usque ad beneplacitum sedis Apostolicae*, vel cum clausula, *usque ad Pontificis concedentis, & sedis Apostolicae placitum*, cum in utroque casu sedes Apostolica maneat, etiam post mortem Personæ concedentis, prout etiam habetur in *Gloss. in relatum e. si gratosè V. perpetuo.*

TITULUS IV.

DE CONSUETUDINE.

SECTIO I.

De Consuetudine, & requisitis ad eam inducendam.

§. I.

Quid, & quoruplex sit Consuetudo?

Duobus modis accipi solet consuetudo 1. pro ipso usu diuturno, sive moribus ipsis, & actibus à Populo frequentatis, & hæc consuetudo dicitur facti consuetudo. 2. Accipitur pro ipso iure, sive lege ex ejusmodi moribus, & actibus publicis, totius populi, vel majoris partis, orta, & dicitur consuetudo juris, sive jus moribus constitu-

Compend. Pirhings.

rum. Differt autem consuetudo à traditione in hoc, quod hæc originem suam habeat non ex usu, seu frequentatione actuum similium, sed ex institutione alicujus juris, quod hominibus à legitimo legislatore datum est, non tam scripto, quam verbo, & per continuum usum facti conservata est; à stylo curiæ verò differt, quod stylus curiæ potissimum attendat materiam, consuetudo verò certam materiam non respiciat, &c.

Dividi solet consuetudo in generalissimam, quæ toti V. G. orbi, vel centè toti Ecclesiæ communis est; in specialem, quæ viget in aliquo oppido, pago, urbe &c. & in specialissimam, quæ uni familiæ V. G. communis est; in eam,

F

quæ